



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut no[n] mouea[n]tur uestigia mea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Verbum dei
trahitur.

autem eorum fictionem pulchre, quia non simpliciter uerbum tuum, sed uerbum
labiorum tuorum dicit in operibus hominum trahi, uere enim sine iudicio
non sensum, sed sonum uerborum uelut e labijs arripiunt & suis affectibus
ut libitum est attemperant, sicut est uidere in facultate Iuridica & Theologica
ca qualificatrice & graduatrice.

Nostra translatio hunc sensum potest tenere hoc modo: Propter uerba la-
biorum tuorum ego custodiui uias duras, quasi diceret: Hoc magis obserua-
ne uias eorum sequerer, quod uerbis labiorum tuorum, ad eas stabilien-
das uteretur, & ita fictis uerbis (ut Petrus ait) de me negotiareretur, cum reuera essent ure-
duræ & difficiles, ut quibus dirumperer uagus in omnia, & in nullo consistere-
rem solide, quod quod labore non est durius: ita quod alijs est causa, qua eos sequuntur,
id erat causa cur non sequerer, sciens quod nulla res pluribus pateat ab uerbis,
quod uerbum & nomen tuum, ideo propter uerba tua magis esse necessarium ob-
seruationem, quod propter quæcunque alia.

Simul hic signabimus uerbum hebræum שָׁמַר Schamar, esse genericum seu
æquiuocum ad custodiam, qua aliquid seruatur, ut uersu primo, & qua aliquid
declinatur, ut hoc uersu, quod latine rectius obseruare quod custodire aut conser-
uare diceretur, obseruare enim in utranque partem accipi potest, sicut a Germanice,
Taulerus. *ache haben*, uel propriissime, quo Taulerus sæpe utitur, *warmehmen*.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moueatur uestigia mea.

Hieronymus melius, Sustenta gressus meos, uidelicet quod astutia satanae, qua
corruptit Euam, nullis queat uiribus caueri, quin corruptat sensus nostros a
simplicitate, qua est in Christo, nisi dominus sustentet gressus nostros, prouo-
catus humilitate orationis nostræ. Non ergo liberum arbitrium hic aliquid ua-
let, nec satis est prima (ut dicunt) gratia, sed perseverantia opus est, qua est non
uolentis hominis, sed sustentantis dei. Et Emphasi obserua, quod maius est perse-
uerare quod inchoare, quia perseveraturis necessaria est sustentatio diuinæ manus,
Multi enim incipiunt, pauci proficiunt, paucissimi perueniunt, ut in Euangelio
dominus docet de semine in diuersas terras, tactato, Et Moses cepit orare le-
uatis manibus, sed grauatus perseverando opus habuit sustentationibus, Vt &
Aaron, Qui enim perseverauerit in finem, hic saluus erit. Perseuerantia autem
quid est, nisi continua inchoatio & indefessa resistentis, tum diaboli, tum pec-
catis grauatae naturæ tolerantia?

Que deus ma-
davit difficili-
us eligimus.

Semitis tuis, satis dictum est per Antithesin dici contra semitas hominum,
Omnia enim facere promptiores sumus, quæ uel ipsi elegimus uel homines sta-
tuerunt, quod quæ deus mandauit, quia in mandatis hominum natura manet, ue-
tere homine intacto, immo uetus homo alitur hominum mandatis, At in
mandatis dei oportet ut mortificetur, mutetur & in nouetur. Homo enim in suis
uijs non eligit nec sequitur quod contra uel supra sensum suum est. In dei au-
tem mandatis non potest ambulare, nisi faciat & patiat multa, quæ nolit, fugit,
odit, & non capit. Hic enim exiit uetus homo, & induit nouus.

Ut non moueantur uestigia mea. Non est in hebræo, ut, sed Taurologia esse
uidetur, idem enim est non moueri pedes & sustentari gressus. Confitetur au-
tem uestigia, seu pedes omnino moueri, id est, instabiles fieri, & in diuersas di-
ruptoris uias duci, nisi in semitis dei seruentur. Sic enim mouentur qui hominum
traditionibus, sicut arundo uento, agitantur, quod experientia omnium eorum
probat,

probat, q̄ operibus suis sese tētant quietos facere, semper discētes, & nunq̄ ad sciētiam ueritatis peruenientes, & tamen speciem pietatis habentes.

Aliud periculū perseueratiōis, multo grauius, ex alio latere, scilicet a dextris, quod est ipsa securitas, prosperitas, & pax impiorum, de quo psalmo. lxxij. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei pacem peccatorum uident. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Hic uere cadunt a dextris decem milia, ubi illic cadunt a latere sinistro, uix mille. Non enim de prosperitate impiorum eorum loquitur tantum, qui crassis, libidinibus, nisi uoluntarios & scientes, sed multo maxime de hypocritis qui operibus hominum speciose fulgent, nulla cruce uexati, uidentur optimam uitam agere, qui uerba labiorum dei, suis operibus aptant, qualis & hodie est pontificum, sacerdotum & religiosorum uita; Ab his nemo satis tutus esse potest, hic in errorem ducuntur, si fieri potest, etiam electi. Nam hac uia, Papa & Episcopi facti sunt domini orbis terrarum, quibus strenue adulantur reliqui Clerici & religiosi. In his omnibus, ne tantillum quidem uidemus crucis Christi & uere pietatis, immo uero maximi omnium crucis inimici hi sunt, & tamē opinione & nomine pietatis celebres sunt, ob sola opera hominum, putamus enim insensati, quia prosperantur in suis uis, ita ut etiam reges magnos humiliarint, & ut quisq̄ fuit doctissimus & optimus damnarint, omnia eorum ex deo esse, cum tamen ea prosperitas nō nisi erroris operatio sit ab Apostolo prædicta. Ista est uorago & ianua patens inferni. In hanc tanto æstu orat hic Propheta, unde & sequitur cœptam orationem prosequens.

Ego clamaui, quoniam exaudisti me deus, Inclina aurem tuam, & exaudi uerba mea.

Duo pronomina, te, & mihi, noster, uel aliquis scriptorum omisit, unde Hieronymus melius ita uertit: Ego inuocaui te, quia exaudies me deus meus, Inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum. Incipit autem a gratitudine & confessione præteritæ exauditionis, hoc ipso captans beneuolentiā & parans impetum orandi, quia ut uidebimus, instanter urgebit affectum orationis, motus magnitudine & multitudine disruptorum & luporum, quibus uellet resistere, & tot miseris animas seruare, nec potest. Ac si ardētī & præsumptuosa quadam indignatione dicat: Ecce audisti me antea sæpius, cū te inuocarem, etiam nunc oro, Inclina ad me aurem tuam & audi uerba mea, dum tā magna & necessaria, pro tot milibus pereuntium, contra tot insidias perdentium, peto. Nec obstat, q̄ heb. futuro dicit: Audies me deus, Et noster, Exaudisti me deus, præterito, quia more prophetico inuoluit utrumq̄, præteritū & futurum, uideturq̄ esse is sensus, q̄ nos uulgo diceremus: Cōfido me nō frustra dicturum, qui sciam q̄ soleas (quæ tua est clemētia) me dignāter audire. Hebraus cōiunctiuum modum non habet, sed indicatiuo futuro, pro eo utitur. Hoc modo Christus Ioan. ij. dicit: Pater gratias tibi ago, quoniam audisti me: Ego autem sciebam, quia semper me audis. Atq̄ hinc soluitur ista difficultas, quæ Aug. etiā aliquoties torsit, cum dicēdum uidetur inuersa sententia: Tu exaudisti me, quia ego clamaui ad te, sed longe pulchrius: Ego clamaui, qm̄ tu audis, ut cōmendetur, misericordia, siue p̄mittētis, siue audiētis, quæ mouet & causa est ut audeamus clamare potius, q̄ clamor orantis, cui per se nihil debetur.

Inclina